

A. G. BAUMGARTEN

AESTHETICA

ITERUM EDITA AD EXEMPLAR PRIORIS EDITIONIS
ANNORUM MDCCL-LVIII SPATIO IMPRESSAE

PRAEPOSITAE SUNT
MEDITATIONES PHILOSOPHICAE
DE NONNULLIS
AD POEMA PERTINENTIBUS
AB EODEM AUCTORE EDITAE ANNO MDCCXXXV

BARI
APUD JOS. LATERZA ET FILIOS
MCMXXXVI

[...]

§ 423. — Tertia cura sit in rebus eleganter cogitandis,
§ 115, 177, VERITAS, M. § 515, sed AESTHETICA, § 22,
i. e. veritas, quatenus sensitive cognoscenda est. Veritatem
objectorum metaphysicam novimus convenientiam

eorundem cum universalibus maxime principiis, M. § 92,
 et inde Leibnitium intelligimus, qui Theodiceae T. II
 p. m. 312: *Potest, inquit, dici aliqua ratione principium
 contradictionis et rationis sufficientis inclusum
 definitioni veri et falsi.* Nam repraesentatio veri in
 aliquo obiecto metaphysici, quatenus intra animam certi
 subiecti peragitur, est ea convenientia repraesentationum
 cum obiectis, quam plerique veritatem logicam nominant,
 alii mentalem, afficientiae, correspondentiae et
 conformitatis, dum metaphysicam veritatem materialem
 appellant.

§ 424. — Posset metaphysica veritas obiectiva, obiective
 verorum repraesentatio in data anima SUBIECTIVA
 dici VERITAS, vel etiam in verbis faciles *logicam* eandem
 dicamus cum plurimis, sed *latius*, ut in re convenientiamus,
 cuius potissimum caussa haec repetuntur
 aliquantulum altius. Iam enim reor liquidum esse, VERITATEM
 metaphysicam vel obiectivam quum dixeris,
 ut lubet, in anima data sic repraesentatam, ut det in
 eadem veritatem logicam latius dictam, vel mentalem et
 subiectivam, nunc obversari intellectui potissimum in
 spiritu, dum est in distinete perceptis ab eodem, LOGICAM
 STRICTIUS DICTAM, nunc obversari analogo rationis
 et facultatibus cognoscendi inferioribus, vel unice vel
 potissimum, *aestheticam*, § 423.

§ 425. — Lege, sis, consilium, quod Chremes in Terentii
 Heaut. III v. 81 Menedemo suppeditat, et hunc
 deprehendes de veritate quadam aesthetica loqui regerentem:

Videre verum atque ita uti res est dicere.

Memento saturarum, quando *veritatem, odium* saepe
parientem, exponere non dubitant, neque
 teneras mordaci radere vero
 Auriculas,
 suo tutae quasi privilegio:
 quanquam ridentem dicere verum
 Quis vetat?
 easque confer cum practicis, eiusdem quae videantur
 argumenti, consiliis ethici cuiusdam philosophi curatus
 sua demonstrantis ac scientifice, et deprehendes in
 exemplo differentiam veritatis aestheticae et strictius
 logicae, § 424.

§ 426. — Communis est logicis aestheticisque meditationibus,
 quam Cicero Off. II 18 paene genetice describit,
virtus quae vertitur *in perspiciendo, quid in quaque re*
verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique (convenientiam
 cum principio contradictionis), *quid consequens*
 (convenientiam cum principio rationati, M. 23)
ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei sit caussa
 (convenientiam cum principiis rationis, M. § 20, et rationis
 sufficientis, M. 22). Verum quando nituntur illae
 distinctam et intellectualem ad harum rerum perspicientiam,
 hae subsistentes intra suum horizontem, easdem sensibus
 et analogo rationis eleganter intueri satagunt, § 424.

§ 427. — Si VERITATEM mentalem et subjectivam,
 veritatem repraesentationum omnem, quae huc usque
 logica tantum dicta est, dicamus AestheticologicaM,
 non ea distinguendum est sententia ac si 1) aesthetice

vera quaedam, immo multa, non essent simul logice
 vera, quod lubenter concedimus. In ea Naturae alloquutione
 ad mori detrectantem, quam Lucretius fingit III
 940-957, cuique vere satis subiicit:

Quid respondeamus, nisi iustum intendere litem

Naturam et veram verbis exponere caussam?

sunt omnia fere simul logice vera, M. § 265, E. § 252.

§ 428. — Neque negamus neque nescimus 2) veritatem aestheticam in pulcre pingendis partibus saepe dare veritatem totius logicam et vix aliter fieri posse, si partium absolvatur et ad finem perducatur enumeratio. Hoc unum observamus, veritatem ab aesthetico, quatenus intellectualis est, non directo intendi, si per indirectum ex veritatibus aestheticis pluribus una prodeat aut cum aesthetice vero coincidat, de illo sibi gratulari aestheticum rationale, § 38, neque tamen illud esse quod nunc potissimum quaerebatur, § 423.

§ 429. — Si qua vero sit veritas logica, strictius dicta scilicet, § 424, non nisi per intellectum cogitanda, vel illi subjecto quod pulcre cogitaturum supponitur, vel iis obiectis personalibus quorum gratia potissimum cogitas, et utrumque denuo vel semper vel certis nunc sane rebus circumstantibus, est ea supra horizontem aestheticum constituta et recte, saltim praesens in tempus, omittitur, § 15, 121. Eclipsin annularem anni praeterlapsi cogita tecum astronomus, non physicus solum sed et mathematicus, aut cum astronomis; eandem autem cogita pastor, vel sodalibus vel tuae Neaerae: ohe! quot vera cogitasti prius, nunc omnino praetermittenda!

§ 430. — Sunt veritates quaedam adeo parvae ut eas sectari vel commemorare sit infra horizontem aestheticum, saltim infra pulcram magnitudinem, nunc absolutam omnino, nunc relativam certe, § 120, 178. Has veritates infinite parvas non curat aestheticus, § 191, 221. Nec historico quidem severam hanc sine exceptione legem scriptam putat: *Ne quid veri non dicat*, ipse legens Aen. VI:

Iuvenum manus emicat ardens
 Littus in Hesperium ...
 At pius Aeneas arcet, quibus altus Apollo
 Praesidet, horrendaeque simul secreta Sibyllae,
 Antrum immane petit,
 nec curat nec cogitat, quo pede primum Aeneas Italiam
 tetigerit, et verissimum interim est aut sinistro
 aut dextro, nisi utroque, quod minus decorum.

§ 431. — Veritas aesthetica postulat obiectorum eleganter cogitandorum possibilitatem, § 426, 1) absolutam, M. § 15, 90, quatenus sensitive cognoscenda est, § 423, i. e. ne in obiecto, dum illud vel in se spectare placet, iam aliquid notarum sibi invicem contradictentium, vel a sensibus et analogo rationis observetur, M. par. 8. Quaedam peccatorum inaequalitas habet hanc possibilitatem et hinc etiam aesthetice vera est, M. § 272. E contrario

Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
 Quum ventum ad verum est. Sensus moresque repugnant,
 Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.

Hor. Serm. I. 3.

§ 432. — Veritas aesthetica poscit possibilitatem obiectorum suorum, § 431, 2) hypotheticam, § 426, M. § 16, et hanc quidem denuo A) naturalem, M. § 469, quatenus cum certa libertate proprius non connectitur et ab analogo rationis diiudicari potest, § 423. Hanc deprehendo in Aen. IX 100:

Tum pater onnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit. Eo dicente, deum domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus aether.

§ 433. — Veritas aesthetica requirit possibilitatem in obiectis suis B) moralem a) latius dictam, M. § 723, ut non nisi a libertate derivanda, talia etiam et tanta sint qualia et quanta ex data libertate, data persona et charactere e. g. hominis certi morali fluere videantur analogo rationis. Hoc est illud *ad veritatem vitae proprius accedere*, secundum quod sane non perinde est,

Maturusne senex an adhuc florente iuventa
Fervidus et matrona potens an sedula nutrix,
Mercatorne vagus cultorne virentis agelli,
Colchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis

loquatur, aut obiectum occupationis aut personale sit.
Hor. A. P. 115.

§ 434. — Tu quid ego et populus mecum desideret audi,
Si plororis eges aulaea manentis et usque
Sessuri donec cantor: vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis. 153.
Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis, 178.

Hinc Horatius commendabat et philosophiam practicam,
ut ita dicam, applicatam § 126, 361, 212, quia eam
probe tenens

ille, profecto

Reddere personae scit convenientia cuique, § 433,

et artis aut notitiae illius, quam *Theophrasti characteres morum* inchoarunt et Gallicus posthinc Theophrastus locupletavit utilitatem suo tempore iam perspiciens,

Respicere exemplar vitae morumque iubebat, v. 317,

Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.

§ 435. — Veritas aesthetica requirit possibilitatem moralem b) strictius dictam, M. § 723, in cogitante non solum ipso, S. XXIII-XXVI, sed et obiectis explicite vel implicite probandis ab eodem, brevius, in pulcris cogitationibus, si vel Acheronta describant, § 422, sed eam tantum quae cadat in sensus et analogi rationis sub trutinam, § 211. Haec est illa VERITAS MORALIS qua, secundum Horatium,

Metiri se quenque suo modulo ac pede verum est.

Quemadmodum § 433, 434 postulatam ego dicerem VERITATEM MORALEM LATIUS DICTAM, sic hanc lubentius STRICTIUS DICTAM appellarem veritatem moralem, ac illam STRICTISSIME DICTAM convenientiam signorum cum mente nostra, quae, si virtus sit, iam habet sinceritatis titulum, si vitium sit, iam secum fert rimositatis ignominiam, E. § 339.

§ 436. — Huius veritatis moralis sed aestheticae, huius dignitatis in cogitando venustius, § 435, 182, limites

aestheticos belle monstrat Cicero Pro Mur. quando,
 74, *At enim agit, inquit, mecum austere et stoice Cato,*
negat verum esse allici benevolentiam cibo, etc. et pro
 veritate aesthetica morum in quos invictus erat Cato,
 velut in ambitum, respondet: *Horribilis oratio, sed eam*
usus, vita, mores, civitas ipsa respuit, etc., 75. *Quare*
noli, Cato, maiorum instituta, quae res ipsa publica,
quae diuturnitas imperii comprobat, nimum severa
oratione reprehendere, etc., 76. *Quod ais, nulla re*
allici hominum mentes oportere ad magistratus mandandum
nisi dignitate (quatenus intellectualiter unice
 concipitur a philosophis, § 211, 212): *hoc tu ipse, in quo*
summa est dignitas, non servas. Cur enim quenquam
ut studeat tibi, ut te adiuvet, rogas? etc., 77. *Quid?*
quod habes nomenclatorem, etc..

§ 437. — Veritas aesthetica requirit obiectorum pulcre
 cogitandorum, II, nexus cum rationibus et rationatis
 § 426, 431, quatenus ille sensitive cognoscendus est,
 § 423, M. § 24, per analogon rationis, M. § 640. Exemplum
 esto Coriolanus Livii II, ipsius nominis et auctoritatis
 primae ratio est, c. 33, hinc altiores spiritus in
 tribunitiam potestatem, c. 34, unde plebis ira, ex hac
 exsilium Coriolani et hostilis eum ad Volscos, non sine
 ratione ex antecedentibus manifesta, rapiens animus,
 communicata hinc cum hospite Tullo consilia belli in
 Romanos, c. 35, horum consectarium callidum Tulli artificium,
 et nova Volscæ plebis indignatio in Romanos,
 c. 37.

§ 438. — Hinc decernitur bellum, duces Tullus et
Marcius, Coriolanus noster, *exsul romanus*. Ob huius

fortitudinem prosperum Volscis initium, plebis Romanae
 trepidatio, hinc prima Romanorum legatio, *atrox responsum*
 quae retulit, reversa ad hostem non recipitur. Hinc
 sacerdotes supplices. Quoniam et hi frustra, iam paene
 muliebris timor pervadit Romam, c. 39. Mater coniux et
 turba mulierum tandem movent durum animum, quod
 ne sine ratione fieri videatur, fingit matris orationem
 sane patheticam historicus. Hinc castra hostilia retro
 moventur, neque tamen disparet Coriolanus nisi post
 aliquam reliquorum eius fatorum mentionem. Romae
 autem exigitur Fortunae muliebris monumentum, c. 40.
 Quanta in his harmonia concinit alendo recreandoque
 legentium analogo saltim rationis? § 437.

§ 439. — Veritas aesthetica poscit possibilitatem obiectorum
 et absolutam et hypotheticam, qua sensitive perspicitur,
 § 431-436, omnis possiblitas postulat unitatem,
 M. § 73, absoluta absolutam, hypothetica hypotheticam,
 M. § 76. Hinc et veritas aesthetica utramque poscit
 unitatem in cogitandis suis, quatenus sensitive deprehendi
 potest, inseparabilitatem determinationum in cogitandis,
 salva perceptionis totalis pulcritudine, § 73. Erit haec
 obiectorum UNITAS, quatenus phaenomenon sit, AESTHETICA,
 vel determinationum internarum, M. § 37, quo
 unitas ACTIONIS, si obiectum pulcrae meditationis actio
 sit, vel externarum et relationum, M. § 37, circumstantium,
 M. § 323, quo unitas LOCI ET TEMPORIS, M. § 325, 281:
 Sit quod vis, simplex duntaxat et unum,
 et placentem simul rotundam illam brevitatem S. XIII,
 XIV, et pulcram obtinebis cohaerentiam, § 437. Hinc

Augustino placuit adeo *unitas*, ut eam *omnis pulcritudinis formam* diceret.

§ 440. — VERITAS AESTHETICOLOGICA, § 424, vel est universalium et notionum iudiciorumque generalium, vel singularium et idearum, M. § 148. Illa GENERALIS. Haec SINGULARIS esto. Veritatis generalis in obiecto nunquam tantum veritatis metaphysicae detegitur, praesertim sensitive, quantum in obiecto veritatis singularis, M. § 184.

Quoque generalior est veritas aestheticologica hoc minus veritatis metaphysicae in eiusdem obiecto, et omnino et praesertim analogo rationis, repraesentatur, M. § 150, 184. Habet rationem unam ob quam aestheticus veritatis, quam observare possit, maximae studiosus, § 22, veritatibus generalioribus, abstractissimis et maxime universalibus, determinatores, minus generales, minus abstractas et generalibus omnibus singulares preeferat quantum potest. Idem ubertas suadet, § 115, quia quo magis determinatum habet obiectum, hoc plures simul differentias, M. § 151, hoc itaque plura pulcre cogitare de eodem conceditur. Idem magnitudo et naturalis et dignitas aestheticia iubet, si connumeret ad magnitudinem universalis quamcunque accedens in eius inferiori differentiae simul pondus, gravitatem, foecunditatem, § 177.

§ 441. — Veritas aestheticologica generis est perceptio magnae veritatis metaphysicae, veritas aestheticologica speciei est perceptio maioris, veritas individui seu singularis aestheticologica est perceptio maximae, qua genus, veritatis metaphysicae. Prima veri, secunda verioris, tertia verissimi, § 440. Veritas singularis vel est internorum entis optimi maximi, vel absolute contingentium.

Contingentia non repreäsentantur ut singularia, nisi ut possibilia integri alicuius universi. Hinc veritas singularis de contingentibus aut ea sistit, ut possibilia et partes huius universi, M. § 377, et haec veritas cum veritate absolute necessariorum maxima dicitur STRICTISSIME, popularique sermone simpliciter VERITAS, aut ut possibilia alterius universi eiusque partes, cognitioni hominum mediae, M. § 876, VERITAS HETEROCOSMICA.

§ 442. — *Veritas strictissime dicta § 441 est quam describit Cicero De inv. II 162, per quam immutata (non mutata) ea quae sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur* (percipiuntur), quamque conferre videtur cum veritatibus minoribus Quaest. Tusc. V. 13. *Chorus ille virtutum, inquiens, (constantia, gravitas, fortitudo, sapientia, reliquae) in equuleum impositus* (veritate vel generali et abstracta, uti stoicorum ista gustata magis quam potata delectant, vel heterocosmica, § 441, 440) *imagines constituit ante oculos cum amplissima dignitate*, S. XXI, *ut ad eas cursim perrectura, nec eas a se beata vita desertas passura videatur* (cognitioni mediae 441). *Quum autem animum ab ista pictura imaginibusque virtutum* (vel generalibus et abstractis vel heterocosmicis) *ad rem veritatemque (strictissimam) traduxeris, hoc nudum* (heterocosmicis mediae cognitionis obiectis spoliatum et ab iis omnibus separatum) *relinquitur, possitne* (in hoc universo singulariter et in concreto numericō) *quis beatus esse, quam diu torqueatur.*

§ 443. — Veritatum aestheticologiarum generalium eae tantum aestheticae sunt, quae et quatenus analogo

rationis, salva venustate, sensitive repraesentari possunt,
 § 440, 423, vel manifesto et explicite, vel cryptice in
 omissis entyhemematum enunciationibus, vel in exemplis
 in quibus, tanquam concretis, haec abstracta deprehendantur.
 Hac ratione ipsum identitatis principium, M. § 11,
 est in Plauti, quis crederet? prologo Captiv.:

Hos, quos videtis stare hic captivos duos,
 Illi, qui adstant, hi stant ambo, non sedent.
 Vos, vos mihi testes estis me verum loqui.

§ 444. — Strictissime verorum eatenus est veritas
 aesthetica, quatenus ea sensitive percipiuntur vera, sensationibus
 vel imaginationibus vel etiam praevisionibus
 non sine praesagio, nec amplius, et sub eadem hypothesi
 veritates heterocosmicae sunt veritates aestheticae, neque
 plures neque pauciores quam analogo rationis percipiendae,
 § 441. Leibnitianam putas distinctionem, iam est
 Tibulli, qui in Messallae pan. L. IV. 1 de erroribus
 Ulyssis multa narrarat, ita ea finiens, v. 80:

Atque haec seu nostras intersunt cognita terras,
 (strictissime vera, 442)
 Fabula sive novum dedit his erroribus orbem.
 (heterocosmice vera, 441).